IN NVPTIIS SERENISS. DD. D. ALFONSI ESTENSIS. ET INFANTAE D. ISABELLAE DE SABAVDIA.

LVDOVICI SCAPINELLI MVTINEN. CARMEN.



MVTINAE.

Apud Iulianum Cassianum. 1608. Sup. permissu.

PHœbe pater, sacrum æterno cui lumine crinem
Fœcundi cingunt radij, qui semina rerum
Spargis, & inuicto reparas labentia motu
Sæcula: nunc læto surgat lux concolor orbi
Felices testata toros, ignemque beatæ
Lucis anhelet equus, primæuaque lumina fausto
Parturiens Aurora sinu concepta secundet
Auguria, & magnas celebrent sua tempora tedas.
Quales, vt perhibent, primis vernantia cunis
Viderunt elementa dies, nutritaque blandis
Semina vix geniti creuerunt solibus orbis,
Nec vaga inæquales variarunt sæcula zonæ.
Nunc suprema senex etiam sub funera mundus
Eripitur fatis, æternaque fœdera rerum
Eludit, lapsósque æui melioris honores
Iam nitido reuocat cultu, viridemque iuuentam,
Oraque in auratos redeunt iam ferrea vultus
Connubijs Alfonse tuis, cui filia magni
Coniuncta est generosa Ducis, quo præside muri
Fertilis Italiæ, & nullas metuentia vires
Temporis alpinæ stant propugnacula rupes.
Conscius arrisit thalamis regalibus æther
Gaudia confessus vultu, laxataque rugis
Vere nouo se iactat humus: iam belliger hæsit
Hebrus, & insolita pressus formidine torpet
Indocilis stagnare liquor, casuque propinquo
Celsa Semiramiæ tremuere cacumina molis.

Scilicet hæc duris extrema laboribus ætas
Voluitur, hæc sæuis præscribitur vltima bellis
Meta, & promißam fatali exhausta labore
Stamina duxerunt mortalibus aurea pacem.
Idcirco indomito fatalia nomina Thraci
Iunxerunt superi, quorum domus vtraque dextro
Numine barbaricas olim domitura secures
Tela parent, sociasq; manus, vtque auspice cælo
Vindicibus Schyticum pacarint classibus æquor
Tempora Idumæis nectant vitricia palmis,
Obscœnisque pias adimant cultoribus arces.
Tunc ferri languescet amor, sudataque longo
Tempore pax veniet, tandemque insana resident
Prælia, nec manibus demens ruet ira cruentis.
Tum natos, serumque genus sua cura manebit,
Tollere reliquias, priscæq; latentia fraudis
Flagitia, & resides palmæ subtexere lauros
Queis studium, patriamq; armis defendere pacem,
Otiaque oblito Saturnia reddere mundo.
Talia fata suis cum stare audisset alumnis
Magna parens Mutina, & tedis regalibus auctum
Nomen Atestinum domito liuore vagari
Trans orbis, Phœbique vias, quà nulla priorum
Gloria fecisset paribus vestigia plantis:
Se quoq; in antiquam faciem, moresque vetustos
Restitui, & tantis dominorum animata trophæis
Mortua primæuæ monumenta resurgere laudis,
Gratatur reducem longo post tempore famam,
Et titulis animosa nouis, lapsamque reformat
Effigiem, spretumque decus, pigraq; caducus
Segnitie redit oris honos: sine lege vagantes

Compri-

Comprimit, & certa damnat statione capillos;
Excitat & veteres testantia dona triumphos,
Et vatum immortale decus, vigilataque sacris
Præmia carminibus, matri quibus æmula Romæ
Certat, & æquæuum natis transmittit honorem.
Ora rigor placidus decorat, tutusq; verenda
Maiestate pudor: Troiana per agmina qualis
Thermodoontiaca fertur bacchata securi
Penthesilea feras acies, infestaque signa
Præcipiti vertisse fuga, sed fortior arma
Exercet, plagisque vomit grauioribus iras,
Siue sagitti feros Mutina inuasisse Gelonos,
Siue alio populos agitare sub axe iacentes
Maluit, atque illi superum defensa fauore
Laurus in æternas viret inuidiosa coronas,
Longæuamque comis nutrit victricibus vmbram.
Quam neque brumales lædunt vrentia siluas
Frigora, nec Boreæ vires, nec vulnera sæui
Solis, vbi Icarijs feruens latratibus arua
Sauciat, & findit sitientes Sirius agros.
At nunc emeritos tenebris squalentibus enses
Abdidit, atque auras trahit alma in pace serenas,
Securumque agitat placidis sub legibus æuum;
Compositis Ianum Cæsar cui motibus alter,
Et belli rigidas duris compagibus ædes
Claudit, & æternis compescit bella catenis,
Aeternoq; fremit damnatus carcere terror.
Ipsa artes Phœbi varias, pacisque laborem
Bellica felici meditatur carmina plectro.
Cui, dum mansuris condit spirantia chartis
Virtutis monumenta suæ, propriaq; perennat

 Arte,

Arte, Padus natos ad carmina mittit olores
Flumine vicino, socioque inseruit honori.
Ergo regalis serum conquesta maritæ
Aduentum, ignauoque dies procedere curru,
Incusatque moras, animumque per omnia versat
Consilia, vt longos fugiat superare viarum
Circuitus, pluuiæque pati dispendia brumæ.
Atque ubi certa vagam tenuit sententia mentem,
Ad subitum sese aptat iter: non illa comanti
Vel galea crines onerat, vel cuspide dextram,
Sed placidæ cultumque refert, habitumq; Mineruæ
Regales induta sinus, Tyrioque veneno
Ardet, & vndanti tardat vestigia palla:
Aurea cui mordent exertam cingula mammam:
Tum teretes gemmis digitos, sceptrique moratur
Robustas grauitate manus: componit euntem
Maiestas, gressusque mouet furtiua decoros.
Et licet innocuam prætendant omnia pacem,
Bella tamen spirat facies, & bellica fortem
Turba Deam sequitur placidis immixta ministris.
Illi sanguineis oculos infecta rubentes
Ignibus Ira comes, Roburq; adamante perenni
Armatum, memorique furens Vindicta flagello,
Et Furor, erranti tit[illegible]ant cui lumina visu
Ebria; tum cera, f[illegible]q; animosa vetustis
Nobilitas grandæua tumet, Virtusque secundis
Plausibus, & vigili pallent in carmine Musæ,
Et secum niueamque Fidem, Pacemq; gemellam
Ducunt, & sæuos frænantia iura tumultus.
Tali Diua parens comitum stipata caterua
Conscendit currum, celerique per aera cursu

Effugit,

Effugit, & rapidis offensa iugalibus aura
Stridet, & ignifero candet rota feruida motu,
Et latè ardentes ferit indignantia sulcos
Nubila, natiuisq; diem splendoribus auget.
Iamq; tenet iuga finitimis rorantia nimbis,
Alpinasque arces, cingi quibus alma beatam
Natura Italiam dedit, & contemnere vires
Externas: lætam specula despectat ab alta
Incola planiciem, & felicibus inuidet aruis.
Est locus, vnde caput vasti per viscera montis
Exerit Eridanus, perq; obuia saxa laborat,
In mareque indomitis violentus voluitur vndis.
Sed tenuis primo damnosas continet iras
Finibus angustis, animosque assumit eundo,
Regalesque acquirit opes, & viribus auctis
Iam super oppositas effusus gurgite moles
Fœcunda effreno populatur culta furore.
Huc Dea velocem declinat ab æthere currum
Ipsum aditura Deum fluuij: reuerentia Diuæ
Attonitas repressit aquas, motuque rebelli
Ad fontem rediere rei nouitate pauentes.
Talibus ipsa humiles compellat vocibus vndas.
Illustres vndæ, queis lenia fata dederunt
Radere fœcundo Ausoniæ pulcherrima limo
Arua, nec hyberno tantum creuisse tumultu,
Sed vestra æterno protendere regna canali,
Humentes aperite domos, & regia vestri
Tecta mihi monstrate patris; tum spargit ab ore
In summo tremulum amne iubar, liquidosq; recessus
Splendor, arenosique illuminat ima profundi.
Paruit vnda Deæ, & subito discessit hiatu

In geminos curuata sinus, geminique pependit
In faciem muri: per apertas illa latebras
Intrat, & ad glauci graditur penetralia regis.
Natiuis pendet latè domus humida tophis
Speluncæ in morem: tum scabro pumice surgit
Cæruleus paries, & raris tecta lapillis
Distinguunt conchæ; madidarum strata viarum
Alga tenet, multaq; super leuis incubat vmbra
Populus, horrentesque comas, ramosaq; pandit
Brachia, perpetuoq; aulam sub tegmine condit,
Electra & blandis lacrymat præsentia nimphis.
Hìc Dea sub magna miracula condita terra
Miratur: nullo partus fœcunda labore
Viscera lassari, varioque tumescere fœtu,
Et vario seruire oneri, diuersaq; certo
Fœdere multiplicis dispergere semina formæ;
Tam multas facies genitarum, inimicaque rerum
Ingenia ex vno nasci pugnantia ventre,
Aeternaque suos retinere propagine mores.
Hìc aurum immundo mixtum flauescere limo,
Hìc videt argentum rudibus candescere massis,
Hìc æris segetem, durique rigescere ferri,
Sulphuraque æternis furere eructata caminis
Vnde Aetnæa suo nutrire incendia possit
Vulcanus flamma nunquam pereunte labori:
Ipsam adeo grauido vacuam diffundere terram
Flumina cuncta sinu, venisque perennibus amnes
Diffluere hinc vndas auido stipendia ponto:
Euphratem, & gelidum Tanaim, septenaque Nili
Ora, (nec hìc patriam tantarum celat aquarum
Ignotam superis) & belli mille triumphos

Iactan-

Iactantem Tiberim, cinctumque humentia lauro
Tempora, & immensis spatiantem fluctibus Istrum
Illustresque alios, alios sine nomine fontes.
Ipsum in diuitibus vasti secessibus antri
Conspicit Eridanum; vitreis cui fulta columnis
Regia concharum Tyriis laqueata lacunis
Erecta est augusta, ingens, & plurima pendent
Per virides sensim cristalla rigentia muros.
Ipse prope vndantem latè Deus assidet vrnam,
Immortalis aquæ cunabula: barba, caputque
Indigenas effundit aquas, nec vilibus vluis
Regalem, aut glauca prætexit arundine crinem,
Populeam sacro sed vertice sustinet vmbram,
Et de taurina surgunt duo cornua fronte
Immensa, & fuluo splendent adoperta metallo:
Sceptrum ingens, teneram fert ab radicibus alnum:
Dextera circumstant vndis famulantibus amnes
Finitimi, & magno prognatæ flumine Nymphæ
Purpurea antiquis variabant texta figuris,
Diuisisque operum vicibus diuersa subibant
Munera: at artifices animare illustria signis
Dum certant monumenta manus, socioque labore
Stamina componunt veras mentita figuras,
Aduentum sensere Deæ, telasque reponunt
Infectas: vitreis effusa sedilibus omnis
Obuia turba ruit, surgit rex ipse, Deamque
Accipit, & dictis venientem affatur amicis.
Quæ te causa meas vltro, Romana propago,
Egit adire domos? aut quæ me in fœdera poscis?
Quæ tua iussa sequor? semper tibi dedita regni
Defluit vnda mei; nec si tu Diua rogaris,

Aut

Aut cursus mutare fidem, peregrinaque culta
Abluere, antiquoque Adriam fraudare tributo
Abnuerim, aut salsos in bella lacessere fluctus.
Illa refert: nec me, fluuium rex maxime, fallit
Te socio quantis crescat mea gloria rebus,
Nec tibi nostra fides studio respondet inerti:
Gentis Atestinæ cultos mihi testor honores,
Illustresque animas, quarum debetur alumna
Fama tibi; quoties pro vestro vltricia regno
Arma tuli, & galeis bibit auxiliaribus amnem
Pubes nostra tuum; neque me pro viribus vnquam
Pœniteat sudasse tuis: immensa labori
Redditur, & magno duplicatur fœnore merces,
Quòd tales semper dominos ista educat vrbi
Vnda meæ, quorum titulos, famamque vetustas
Victa triumphatis queritur superesse diebus.
Prodigus ecce nouis etiam mea gaudia donis
Continuas, plenoque fluit mea gloria cursu,
Quòd mihi felicem dominam, celebresque Hymenæos
Regali de gente paras, & regia coniux
Ipsa sinu nutrita tuo gentilia vincit
Nomina, Atestinoque coit benè nupta marito:
Augustis genita, augustos genitura virago,
Augustamque aditura domum. sed gaudia cessant
Quid mea? quæ niueam mihi lucem Aurora reducet,
Pendere ut liceat regalis ad oscula dextræ,
Mirarique oris decus, & cognoscere præsens
Syderei lumen vultus, animumque tuendo
Pascere, & obsequium cultu præsente fateri.
Nunc etiam, infestum pluuius cum fuderit imbrem
Auster, inaccessos fœdat bruma inuida calles,

Et ma-

Et malè quadriiuges sub iniquo pondere sudant.
Quin potius liceat per te pater optime, segnes
Præcipitare moras: dominis potes ipse maritis
Mansuetos offerre sinus: nunc amnis habenas
Audiat, ipse minor liquidum stagnantibus vndis
Sterne iter, ipse manu labentem impelle carinam,
Et pronam facilis ferat alueus amne secundo.
Sic tibi purpurei iucundos veris honores
Nutriat indulgens Zephirus clementibus auris,
Sic viridi æstiuos defendat tegmine soles
Alnus, inexhaustoque fluant regnantia cursu
Flumina, & in magnum veniat plebs cætera nomen.
Ille autem: quid prodis, ait, mea vota precando?
Hæc mihi mens fuerat: tanti ne insanus honoris
Tempora dissimulem? tibi nunc obnoxia cedant
In titulos mea sensa tuos, omnisque feratur
Obsequijs via trita meis, nullumque merendi
Prætereat mihi tempus iners; sed nostra premuntur
Munera cum meritis frustra pugnantia tantis.
Hæc ait: at magnæ Nymphas regalia nuptæ
Dona iubet properare, toris genialibus aptum
Puluinar, pictoque ardentem murice pallam.
Nec mora: cognatis pars aurum expurgat arenis,
Ast aliæ purum accipiunt, tractuque seuero
Tenuia deducunt aptis in stamina pensis.
Arte laboratas pars auro illudere vestes
Accelerat, Tyriumque docet squalere ruborem,
Atque antiqua refert memori monumenta labore.
Insignem nam forte Rhodum, celebrataque pugnis
Mœnia nobilibus, nunc Thraci heu serua tyranno,
Fingebant, cælata auro circum sonat vnda,

Dilectamq; ſinu vaſto complectitur vrbem;
Pulſata innumera ſed canent cœrula pinu
Marmora, barbaricisq; latet ſub claſſibus æquor
Immenſum. hic ſubitis tormenta tonitribus ardent,
Humanoq; vides deſcendere fulmina iuſſu
Æmula cæleſtis flammæ: indignata dehiſcit
Vnda, gemunt turres, lateq; offenſa reſultant
Littora, & inſerpunt tremulos vibrantia fluctus
Murmura. tum ferro, teliſq; horrentibus ipſæ
Stant acies, contraque ruunt, ipſamq; minantur
Vrbem exciſuras. vnus fatalibus armis
Intonat Amedeus, animatq; in prælia ciues,
Et Rhodias tutatur opes: furit arduus ipſe
In Thracem, ſalſoſque infectat ſanguine campos.
Vt lupus æſtiuas nullo cuſtode per herbas
Diſperſos errare greges ſpeculatus ab alto
Improuiſus adeſt; funduntur inertia ſæuo
Per campos armenta metu, rabiemq; laceſſit
Prædę inſanus amor. fugientia terga ſuperbum
Vertere ductorem Nereus, & cedere pulſum
Miratur. gelidum forti tamen ore timorem
Diſſimulat, mixtaq; ardet pudor irritus ira.
Ecce ferox Atilam minitantem, & Caſpia fundit
Agmina, & obſeſsis prohibet ſuccedere muris
Foreſtus, poſcitq; trucem in certamina regem,
Atq; vnus toties victricia ſigna moratur.
Forſan & Heſperijs dirum ceruicibus ille
Hoſtem auertiſſet, ſed primo extinctus in æuo,
Ceu ruptus fugit per inania nubila fulgor.
Inde Rauennates immanibus occupat agros
Stragibus, & victor pugnantem Alfonſus in hoſtem

Ful-

'ulminat: obstantes populatur flamma cateruas
'ellatrix, frangitq; tenaces impetus iras
ulphureus, nullaq; ictus vitabilis arte.
Parte alia magnus terræ regnator Iberæ
gnotum velis peragrat felicibus æquor,
Egrediturq; polum, longoq; per æquora tractu
Audaci Herculeas contemnit remige metas,
Diuisam & penitus nostro sibi subijcit orbe
Tellurem. hic alio sub sole iacentia gemmis
Littora tollit opus: miris animalia formis
Aspiceres ignota nouos errare per agros,
Ignotis magnos decurrere montibus amnes
In pelagus, lætasq; nouis frondescere siluas
Arboribus, floresq; suos, sua reddere poma.
Dumq; labor feruet, requiemq; inglorius odit
Nympharum, doctasq; manus properata moratur
Cura operum, iussoq; exercent munere laudem,
Fatidicum referunt arguti carmen olores,
Seraq;, quæ Phœbo quondam didicere magistro,
Fata canunt, cæcaq; animos ambage morantur.
Viuite concordes animæ, quas prospera iungunt
Numina, quas placido despectant sydera vultu,
Legit Atestinæ quas quondam in semina laudis
Iuppiter, & tribuit vitiorum excindere fibras.
Tempus erit, cum nullus honos furialibus armis
Restet, & insani moriatur gloria ferri
Decolor, & vestris reuocata nepotibus olim
Floreat, & vacuam pietas colat aurea pacem,
Securumq; orbem placidis moderetur habenis.

EPI-

EPITHALAMIVM
EIVSDEM.

REx fluuium Eridanus thalamos viſurus heriles
Adſit, & inſanæ murmura frænet aquę.
Nec vireat glaucis lacrymans in crinibus alnus,
Et graue ſilueſtri cingat honore caput.
Aurea ſed lætæ ueniant redimicula fronti,
Nobilibusq́; comis aurea manet aqua.
Vndaq́; regalis turpe indignata tributum
In fera cœruleas bella laceſſat opes.
Qualis magnificos fertur duxiſſe triumphos,
Et laurum humenti ſuſtinuiſſe coma,
Fregit Ateſtino Adriacas vbi marte ſecures,
Addidit & dominas in ſua vincla manus.
Iam tibi deducet regalem Alfonſe puellam,
Et lento faciles amne parabit aquas,
Iam iubet argutos meditari carmen olores,
Et memori illuſtres ore referre domos
Virtutes Alfonſe tuas, famæque perennis
Munera ſudato parta labore canet.
Vtque nec ignotos condant tibi littora ſoles,
Nec varia ignotum Cynthia currat iter.

Vtque

Vtque tibi occultas liceat cognoscere vires
Naturæ, & nulla iura caduca die.
Phœbus vt æterno duodena per astra labore
Fœcunda omniferam luce maritet humum.
Vt viuant elementa suis pereuntia bellis,
Pugna vbi perpetuæ semina pacis habet.
Vtque tibi studium sanctos comprehendere mores,
Quà dubium & virtus carpere monstrat iter.
Neue sit insanis mens vnquam obnoxia curis,
Indignoque adimas libera colla iugo.
Tum verò, ut totum spirent tua pectora Martem,
Et tractes habili fortia tela manu,
Et veterum properes ad magna exempla parentum,
Quaq; patet raro semita trita pede.
Bellaque pro laribus referet pugnata Latinis,
Ante triumphales oppida ducta rotas,
Victricemq; Aquilam, Troianæ insignia gentis,
Hectoraque auctorem nominis esse tui.
Tum canet, ut virgo patrias sciat ire per artes.
Fœmineisque suos laudibus æquet auos.
Tempora dum flauent grandes canescere curas,
Et mentem ante annos consenuisse suos.
Vtque trahat longis regalia nomina fastis,
Auctaque successu stet domus alta suo.
Qualiter ad plures fluuij patet alueus amnes,
Quò magis à primo fonte recessit aqua.
Stemmataque Idæos iactet generosa Leones,
Digna quibus tantæ gloria gentis eat:
Stemmata turrigeram generis testantia matrem,
Et iunctum Hispano nobile rege genus;
Hispano, natura nouos cui condidit orbes,

Cuius

Cuius & in titulos astra nouella micant,
Cui maris vnda tumet, Phœbi cui serua laborant
Lumina, cui moritur, concipiturq; dies.
Nunc Alfonse vocans lætos Hymenæon ad ignes
Præparat arsuras in tua vota faces.
Sancte Hymen, casto qui fœdere iungis amantes,
Ne pereat turpi læsus amore pudor.
Hymen ades, fuluasq; toris molire catenas,
Et preme longæuo corda marita iugo.
Nulla pijs vacuam lædant contagia pacem,
Firmaq; purpureus fœdera seruet amor.
Læte Hymen, Hymenæe, Hymen, cui blanda iuuentæ
Lumina, cui tenero vernat in ore decor:
Iucundos indulge annos, certoq; tenore
Per numeros veniat prospera vita suos.
Tecum adsit placido stabilis concordia vultu,
Et faciles risus, aptaque verba ioco.
Cana fides, ludique leues, ignaraq; fraudis
Simplicitas, choreis addita turba tuis.
Hymen ades, fœcunde Hymen, quem vita parentem
Iactat, qui steriles non sinis ire dies.
Subcrescat magno soboles numerosa parenti,
Cuius magnanimos fama reducat auos,
Longæuis superet proles laudata maritis,
Et patris auspicijs fortia bella gerant.
Gaudeat ille pios sua per vestigia natos
Nunquam lapsuro fortiter ire pede.
Aequa rudi tecum faueat Lucina puellæ,
Et ventrem facili liberet illa manu;
Nec grauidus partu venter properante laboret,
Viscera nec pondus tarda fauget iners,

Nec

Nec fœtus longo pereat vexata labore
Forma, nec egregij defluat oris honos.
Acer Hymen, qui cara ferox in vulnera sæuis,
Dulcia qui cupidas addis in arma manus,
Virgineasq; cies lachrimas, castiq; pudoris
Dulces exuuias improbe raptor habes:
Te duce concordes pugnas noua nupta capessat,
Ad Veneris pugnas dum noua miles erit.
Sponte sua, primos deducta vbi senserit ictus,
Submittet faciles in tua iura manus.
Vt rubet, infantes radios, lucemq; tenellam,
Cum vehit Eois nuncia solis aquis.
Aut vbi cantato titubans argentea curru
Inficitur niueum luna pudore iubar.
Sic castam iniusto mentem confessa rubore
Respuit in cupidos nupta venire sinus.
Blande Hymen, viridi cui florent ora iuuenta,
Purpureisq; nitent lilia picta rosis.
Nunc tempestiuo tedæ tibi vere parentur,
Atq; ineant ludis tempora nata tuis.
Lapsa renascenti redeat sua gloria mundo,
Rideat, & reduci flore benignus ager.
Hos rebus dedit alma dies natura creandis,
Hæc tibi fœcundus tempora poscis Hymen.
Ergo age regali faueas Hymenæe marito,
Interna & iuuenis vota valere iube.
Increpat ille moras, seræq; silentia noctis
Ignaua, atq; tuas increpat ille moras.
Vtq; feris acres expirat naribus iras,
Prælia magnanimus cum meditatur equus.
Sic dulci accensus pugnæ concordis amore

Incusat segnes in sua vota Deos.
Hymen ades, genialis Hymen, cui dextera mollis
Threijciam mira temperat arte chelim,
Quem blanda Idalius defendit amaracus vmbra,
Cui madet Assyrio nexilis imbre coma.
Hìc tibi regali celebrant conuiuia luxu,
Et capiti flores educat aura tuo.
Hìc ludit nulla frenata licentia lege,
Exæquatq; humili grandia regna casæ,
Ebria cui multo titubant vestigia Baccho,
Verbaq; consuetis liberiora sonant.
Hymen ades, lasciue Hymen, tibi noctifer ardet
Hesperus, & celeri sydera ducit equo.
Explicat ardentem stellis nox aurea pompam,
Exornatq; iocis apta theatra tuis.
Astra tibi tacitæ per opaca silentia noctis
Ad raptus fulgent officiosa tuos.
Ista verecundo latebras dabit hora pudori.
Nuptarum timidos incitat illa sinus.
Labere Parnasso, tua si tibi gloria curæ,
Contingens dextro prospera sacra pede.
Insutoq; tibi rigeat sinus asper ab auro,
Et Tyria Eoas purpura gestet opes,
Molliaq; auratus frenet vestigia soccus,
Scintilletq; tuo lumine castus amor.
Qualis eras, picti dotalia sydera mundi
Cum tenuit magno cum Ioue iuncta soror.
Nunc tibi materni ludat vox æmula cantus,
Et variet centum flexibus apta sonos.
Fluctuet vt certis facilis sub legibus error,
Seq; per ambages explicet ipse suas.

Bra-

Brachia nunc certo moueas concordia plectro,
Et doceas iussa ludere in orbe pedes.
Iam veniens ver sparge manu, ver sparge capillis,
Ominibus faustis spinea teda crepet.
Dum tractas liquidum variantibus æthera pennis,
Et nitidum auratum spargis ab ore iubar.
Se dextro ecce tibi conuexa volumine torquent
Sydera, & aspirat ignibus aura tuis:
Ardet amans tellus, cæloq; ostentat amato
Conspicuum ornatu versicolore caput;
Mutua nec renuit veniens in fœdera cęlum,
Et pluit in caros dona beata sinus.
Atq; hominum genus, & pecudes, & frigida pisces
Pectora, vitali non minùs igne calent.
Planta etiam placidum spirat siluestris amorem,
Et suus in duro cortice sensus inest.
Et Zephirus leni clemens assibilat auræ,
Frigida legitimas sentit & vnda faces.
Hymen adest: micuere ignes, & luce serena
Arsit per totos prodiga flamma lares.
AEmulaq; æthereum sequitur splendore secundo
Concita sulphureo flamma vapore iubar;
Intortusq; fremit rutilis sub nubibus ardor,
Findit & aereas lucida rima vias.
Haud secus, in gremium quàm cum genitricis opacę
Labuntur summis astra refixa polis.
Iam thalamos noua nupta intrat, quam pronuba Iuno
Collocat in socio, quam Citherea toro.
Iam sponsum timet instantem, propiore periclo
Anxia virgineus venit in ora timor;
Et facies abijt solitos oblita colores,

Ipsa diu toto corpore nulla fuit.
Albescunt quali violæ ferrugine, qualis
Pallet in obscuro nubilus orbe dies.
At tu, quam iuueni iunxerunt fata beato,
Pone metum, felix hoc tibi vulnus erit:
Nec segnes offensa Venus tam prouocat iras,
Quam sua cum fieri numina vana videt,
Contemniq; suas placidissima fœdera leges,
Sanctaq; legitimi iura perire tori.
Iam tibi sponsus adest: qualis Cithereius heros
Amplexus petijt pulchra Latina tuos.
Qualis & æquoream Phtius Nereida Peleus
Fertur, & Andromaches Hector adisse torum;
Aureus intonsa sic lucifer ardet ab Ida,
Cum tardum roseo prouocat ore diem.
De tanto numerosus eat tibi coniuge partus,
Nec pereant sterili virginitate dies.
Te quoq; ne timidæ lædat pudor iste puellæ,
Nec rudibus lachrimis sit tuus asper amor.
Iam discet sua damna pati, iam ponere fastus,
Blanditijsq; manus iam dabit illa tuis.
Quæque puellares iniuria suscitat iras,
Hæc eadem æterni semen amoris erit:
Tu modò perq; minas, & verba precantia raptor
In tua pugnaces inijce iura manus.
Intactas sic spina rosas, sic dulcia sæuis
Morsibus Hyblææ mella tuentur apes.
Ludite, Chaoniæ dum iungent blanda volucres
Murmura, dum Veneris cura columbus erit:
Et circum annosos hederam dum serpere truncos
Pallenti amplexu silua videbit anus.

Dumq;

Dumq; premet sterilem vitis complexa maritum,
Dumq; salutiferi fœdus amoris erit.
Ludite, nec melior fugiat sine fructibus ætas.
Labitur, & nullas sustinet illa moras.
Tali populeę resonabant carmine ripæ,
Aurita & lætos reddidit vnda modos.
Cęlestes læuis fulsere tonitribus ignes,
Et bona felici signa dedere face.

ODE
EIVSDEM.

MATER vmbrarum, madidam perenni
Astra cui frontem variant corona,
Ignibus lectum stabilire sacris
Nata iugalem.
Iam tibi præceps Phaeton rubentes
Condidit currus, vigiliq; surgens
Hesperus flamma vehit inuidendæ
Tempora tedæ.
Iamq; flagrantem rapere ad maritum
Regiam audaci gremio puellam
Gestit, & testes vocat ad beata
Fœdera stellas.
Tu refer puro taciturna curru
Tempora, & nullas meditetur iras
Iuppiter, nullus violet serenos
Nimbus honores.
Qualis optato Thetidis marinæ
Fecit amplexu iuuenem beatum
Hora, cęlestes Ioue cui probante
Sanxit amores.

Tu

Tu faces feras, metuente duci
Virgine, accendens acuas morantem,
Flectere oblatis timidum latebris
Blanda pudorem.
Te ferus soluat iuuenis fauente
Virginis zonam, querulasq; voces
Mente secura, lacrymasq; volui
Spernat inanes.
Ebrias caris animas fauillis
Rite longæuus populetur ardor,
Casta fœcundo Venus igne felix
Corda maritet.
Truncus vt blandis hederæ corimbis
Cingitur, dulcis premat arcta nodus
Pectora, alterno fugiens legatur
Spiritus ore.
Sedet errantem bibulis voluptas
Ossibus flammam, doceatq; mitem
Serpere, & viuum tremulis amorem
Vibret ocellis.
Iam tuis lætam sobolem inuidebit
Delius ludis radius, minore
Gloria currens tibi sol secundas
Flectet habenas.
Nec Iouis tantùm tibi partus ingens
Risit, in cuius polus hæsit ortu,
Dum dies stellis perit occupato
Pulsus Olympo.
Nobili paruus tibi mox in aula
Ludet Alphonsus similis parentum,

Cuius obscuret veniens auitas
Gloria laudes:
Stabit indulgens pueri trophæis
Serua sors, longos dabit & triumphos,
AEquet vt victrix numero carentes
Laurus arenas.
Ille per lætas segetes furentis
More Vulcani scelerata sternet
Agmina, & seram dabitis superba
Regna ruinam.
Franget audaces equitare nostris
Finibus Thracas, Tanaimq; coget
Voluere abiectum proprijs cruentas
Cladibus Vndas,
Annuat nostris vtinam camœnis
Iuppiter læuus tonitru secundo,
Atq; inoffenso subeat minorum
Fama tenore.
At tibi vultu bona nox sereno
Rideat felix polus, atque inertes
Luna fraternis stimulet iuuencos
AEmula flammis.

ODE

ODE EIVSDEM. 13

Regali dominos flumine coniuges
Pronus cum veheret populifer Padus,
Taurinum liquidis corniger extulit
Regnator latebris caput,
Et rauco placidos ore dedit sonos.
Saluete egregijs digna parentibus
Heroum soboles, quos Hymen aureus
Coniunxit face prospera.
Nunc Alphonse bona ducis aui domum,
Quam linguis sequitur fama volantibus,
Inuictoque decus portat anhelitu
AEternum geminæ domus,
Quà Phœbum recipit fluctibus hospitis
Thetis, quà genitum restituit diem.
Argutis aderit quantus oloribus
Pro lætis thalamis labor,
Quos vestris dociles laudibus educo.
Nunc fastu videor currere regio,
Nunc leges populis ferre liquentibus,
Nunc lapsum redijt decus.
Me quondam famulo iuuerit alueo
Deduxisse tuas regia nuptias
Coniux; nec tacito dona silentio
AEterna immemor obruam,

Sed lux ista tuis addita honoribus
Expectet vicibus nobilis annuis
Et ludos celebres, & sociam dapem,
Nimpharumq; leues choros.
Stabunt certa tuis præmia laudibus,
Quis digno veniat carmine promptior
Aut clarum generis nomen, & æmulam
Solis dicere gloriam,
Aut testes animi nobilis, aureos
Mores, qui tenera virgine grandius
Mostrent ingenium, aut Hectoreum genus
Sponsi tollere regij;
Quàm non degeneres nominibus ferat
Antiquis animos, magnaq; bellico
Voluat facta sinu. Candida vos diu
Læti viuite sæcula.

CAN-

CANZONE DEL MEDESIMO.

L'A' dal musico regno
Di Febo, oue corona
Si prepara virtù d'eterno Aprile,
E da canoro legno
Chiari versi risona
Con l'animato allor mirto gentile,
Desti l'vsato stile
Vrania, e le grand'alme
Dè dui reali sposi
Canti, e gli aui famosi,
E tessa à l'alte fronti allori, e palme,
E a l'auorio facondo
Renda le voci Echo immortale il mondo.
Vieni tu sua gioconda
Prole, sotto i cui parti
Liba le prime notti il casto amore:
Infiamma la feconda
Face ne fochi intatti,
Onde vnite del ciel l'humido ardore.
Qual, ridendo l'honore
Del notturno sereno,
Schiera accesa di lampi
Da li stellati campi
Balenan suole à la gran madre in seno,
Onde fa del suo zelo
Fede à la terra innamorato il Cielo.

Spiri da i viui raggi
Del purissimo lume
In giouinetto sen fede canuta;
Et onde i casti, e saggi
Cori ardi, e non consume,
L'amor, che ogni terrena esca rifiuta;
Già la gran mole occhiuta
L'Argo eterno t'accende,
E'n su'l morir del die
Per le'ndorate vie
Col carro di rugiada Hespero ascende,
E'nfiamma à tuoi bei giochi
Testimoni d'amor gli eterni fochi;
Ma, co i soaui inuiti
Mentre à guerra amorosa
Col fauor de la notte amor disfida;
In van scherzando irriti
La vergine ritrosa,
Che del tuo lusingar poco si fida.
Te chiama empio homicida,
Te predator audace
De i virginali honori;
Ma tra l'ostro, e i pallori
De la vergogna, e del timor mendace;
Per viuo specchio fuore
Arde ne gli occhi il bel desio del core.
Se la lingua à la mente
Non vuol seruar la fede,
E frange in dubbio suon voci sospese;
L'occhio interprete ardente
Folgoreggiar si vede

Ani-

Animate d'ardor parole accese,
E già di dolci offese
Di piacer saettata,
Ebra d'amor delira,
E languendo sospira
L'vna, e l'altra in quel punto alma beata.
A i bei diletti Gioue
Arride, e'l mondo par, che si rinoue.
Già la cadente etate
Volge, Proteo volante,
L'anno girando à la stagion natale,
E le cune odorate
Al fugitiuo infante
Zefiro'n fiora al ventilar de l'ale,
E pittor immortale
Smalta di bei colori
Le piaggie; e fertil nembo
Pioue dal verde grembo,
Onde marita i recidiui fiori,
E i prati in vaga mostra
Di gigli imperla, e d'amaranti inostra.
E, s'human senso intende
Ciò, che parla con noi
Con la lingua di foco il ciel tonante,
S'occhio mortale apprende
L'opre de i grandi heroi
Scritte nel libro luminoso errante
Del suo vario sembiante,
Già pullular trionfi
Veggio al felice'mpero,
Ond'ogni il capo altero

Di

Di lauri, e glorioso il Pò si gonfi,
E da i gran nomi illustri
Imporsi legge à i trionfati lustri.
Veggio l'Aquila audace
Con più superbo volo
Far di noui sentier' oltraggio al Cielo,
Et oltre il mar, che giace
Sotto'l più pigro polo,
Cui frena in ceppi eterni immobil gelo,
E doue senza velo
Ne gli adusti confini
Tiranneggia l'arsura
Gli egri honor di natura,
E vibra Febo i rai troppo vicini,
Far di sue glorie sole
Scena la terra, e spettatore il sole.
Sotto'l pin trionfale
Già'ncatenato geme,
E ne' suoi pianti il mar barbaro ondeggia.
Cinto d'honor nauale
Il glorioso seme
De l'Estense valor chiaro fiammeggia:
Ne fia, ch' andar si veggia
Per lui men curuo Atlante;
Che per Roma, ò per Thebe
Già quel, ch'à correr hebe,
Per le cerulee vie carro volante
Primiero alato pino
Spiega con minor gloria ignobil lino.
Sorger ne gli honor vostri,
Donna real, vedrete

L'odorato d'Arabia Autun fecondo,
E'l mar da i ſalſi chioſtri
Coglier le ſue ſegrete
Meſſi, e'l Tago mandar più vago, e biondo
Or dal ricco profondo,
E duolſi il Pò, ch'elettri
Non piangon di uoi degni
Le ſuore, e ſtima indegni
Febo del nouo honor gli vſati plettri.
Duolſi Pindo, ch'allori
Non può tanti produr, che aſſai v'honori.
Canzon toſto vedrai ne gli anni d'oro
Per le placide riue,
Doue il cipreſſo fù, naſcer l'oliue.

AD PIVM LECTOREM.

NE quis hæc legens, cum in quadam vocabula ethnicorum more pronunciata, quibus ſublatis frigere Poeſis videatur, inciderit, vel ipſorum verborum ignoratione labatur, vel carminis auctorem, tanquam minùs chriſtianè locutum, reprehendat, pium lectorem admonitum volumus neque crinem Phœbi Sacrum, neq; Padum Deum appellari, quaſi hæc illis nomina conueniant, ſed veterum Poetarum, apud quos hæc vocabula frequentiſſima eſſe ſoleant, conſuetudinem elegantiæ cauſa retineri; Fatum verò, & alia id genus, pro diuina prouidentia, Beatum pro felici, Hymenæum pro nuptijs eſſe accipiendum.

F I N I S.

Mc